

deat universus ad truncum : Adde & , quod non nihil ex istis ar-
teriis in cavitate intestinorum evacuetur quotidie. Verum circa
hepar nihil licet cernere propter lacteos ramulos, Portam corollae in-
star sive annuli incingentes ambientesq; , uti depinxit, descripsitq;
Asellius, quere prae ter me, aliis etiam ante hac imposuit quam plu-
rimis, existiman.ibus, hasce succum suum in Portam evacuare, quum
reverà quoq; sub Porta incedant, & accedant mediam illam mesen-
terii glandulam, à qua postmodum versus ductum hunc pergunt. Ce-
terum fibrillae sunt nervae per Portam accurrentes, ne utiquam verò
Lactea, quas monstrare se post mortem etiam facile posse, scripsit do-
ctissimus Highmorus : Et ramus ille lacteus insignis in Orbe pisce à
Cl. Bartholinò observatus, ad hepatis lobum minorem tendens, non
procul à magnâ glandulâ, sub eodem lobò ulterius perrexit sine dubiò
versus cor.

5. Vesiculam felleam, Porum choledochum, meatumq; he-
paticum itidem bilem vehementem peculiarem, de quibus in se-
quenti capite seorsim.

6. Vasa lymphatica, quorum primus inventor est Thomas
Bartholinus. Iste enim visis aquosis ductibus in artubus simi-
libus illis qui in hepar inseruntur; dubitare coepit, an di-
versi sint prope hepar à lacteis, imprimis quum etiam appare-
ant, licet venae lacteae amplius non sint conspicuae. Horum
vasorum, ad ductum inventoris, considerabimus.

Exortum, qui est ab extremis partibus, seu artubus, & vis-
ceribus, hepate nempe, ex quo cum ramis venae portae prode-
unt, vesiculâ fellis &c. Quâ parte verò ex artubus prodeant,
an à venarum extremis, vel musculis, nec dum oculus assequi
potuit ob vasorum subtilitatem. Conjecturae si quis locus, à
partibus nutritis debent emergere ob usum postea asseren-
dum, quanquam nec à venis capillaribus impossibilis sit ex-
ortus. Qui in nervis circulationem admittunt, nullam
commodiorem hâc viam invenient, quippe subtilissimos Spi-
ritus in splendidam aquam resolvi, quotidiano in alembicis
experimento constat, tumque ex nervorum summis particulis
progredierentur.